

to consequendæ (posit. 34, 35, 36.); quam videlicet ratio de DEO ideam generat indagatrix, eandem veram esse postulat imperatrix. — — Verum omnia hæc rationis de supremo hominis fine molimina ultra deductiones subiectivas non affurgunt, indigentis nostris minime satisfaciunt, atque ingenium humanum sibi commissum scepticismo inextricabili probabilius involvunt: demum quantacunque illa lumina secundum originem historicam perpenſa, nequaquam a propria intelligentiæ nostræ virtute, sed a benevola DIVINITATIS institutione profecta esse, inferius ostendemus. — Sit ergo

§. III.

MAGISTERII ALTIORIS VOTUM
ATQUE NECESSITAS.

XL. Omnium retro temporum annales nos edocent, religionem generi humano id nequaquam fuisse, quod spectatis rationis puræ principiis in plena hodiernæ philosophiæ luce esse et potuerat et debuerat.

XLI. Excepta namque Israelitarum gente, cunctos fere antiquitatis populos innumeris erroribus foedisque superstitionibus *circa Divinitatis naturam* laborasse adparet. Siqui etiam inter plures Deos, quos adorabant,
unum